

BULA “*DUM LEVAMUS*” DO APROVAÇÃO

DA ORDEM SERVOS DE SANTA MARIA DO PAPA BENITO XI

11 FEVEREIRO 1304

Texto en Latin

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis Generali et universis Prioribus et Fratribus Servorum Sancte Marie, Ordinis sancti Augustini, salutem et Apostolicam benedictionenem.

DUM LEVAMUS in circuitu oculos nostros, et gregem dominicum Nobis, licet immeritis, divina dispositione commissum undique, iuxta pastoralis officii debitum, contemplamur, vigilem, quantum Nobis ex Alto permictitur, curam libenter impeditus, ut cultores vinee Domini Dei Sabaoth sic cultui salutis intendant quod eadem vinea palmites diffusos extendens, salutarium producat fructum ubertatem.

Et licet erga singulos cultores huiusmodi, personas videlicet ecclesiasticas, Apostolica sollicitudo versetur, erga tamen viros religiosos, qui contemplationi celestium, mundanis relegatis illecebris, pie vite studio sine intermissione desudant, eo propensiorem nos decet diligentiam adhibere, quo ipsi pro religionis favore sunt amplius Apostolicis presidiis confovendis.

Sane vos, qui Ordinem sancti Augustini, per Sedem Apostolicam approbatum, profitemini et servatis, ex devotionis affectu, quem geritis ad beatam Mariam Virgimen gloriosam, assumpsistis vobis vocabulum ab eadem, vos Servos eiusdem Virginis humiliiter nominando, dictumque Ordinem sancti Augustini nicbilominus iuxta pias et honestas institutiones vestre Regule, in honorem ipsius Virginis editas, laudibiliter servastis hactenus et servatis; ac vobis, per specialia privilegia, dicta Sedes indulxit quod celebrare possitis Capitulum Generale, ac in eodem Capitulo Priorem vobis Generalem eligere, qui in fratres vestri Ordinis correctionem et alia, que ad suum spectant officium, libere valeat exercere; quodque ad sepulturam possitis recipere illos qui apud loca vestra elegerint sepeliri.

Ex quibus clare insipientibus satis innuitur dictam vestram Regulam per eandem Sedem existere quodammodo confirmatam.

Nos autem, qui ad Virginem ipsam Dominam nostram libenter devotionem quam possumus exhibemus, nolentes quod aliquis contra vos, et regulam ipsam quicquam possit detractionis impingere, quin eadem Regula plenam habeat Apostolici muniminis firmitatem, ad omnem hesitationis materiam

circa hec de quorumvis animis amoventa, vestris supplicationibus inclinati,
Regula et eius institutiones predictas expresse Auctoritate Apostolica
confirmamus et etiam approbamus, et presentis scripti patrocinio
communimus, eamque vobis concedimus, decernentes ipsam per vos fore
perpetuis temporibus inviolabiliter observandam.

Nulli ergo omnino hominum liceat banc paginam nostre confirmationis,
approbationis, concessionis et constitutionis infringere, vel ei, ausu temerario,
contraire.

Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis
Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursum.

Datum Laterani, III idus Februarii pontificatus Nostri anno primo